Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

164. Iesus clausis foribus intrans in medio stat (Thoma absente) Apostolorum, contrectandu[m] se illis pr[a]ebet, comedit, & Spiritum sanctum impertit, facta illis potestate remittendi retinendique ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-47925

Visual Library

CAP. 164. IESVS clauſis foribus intrans in medio ſtat (Thoma abſente) Apoſtolorum, contrectandum ſe illis præbet, comedit, & Spiritum Sanctum impertit, facta illis poteſtate remittendi retinendíque peccata.

Mar. 16. * 163. Luc. 24. * 163. Iohan. 20. * 161.

S. Matthæus

S. Marcus.

NOuiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatẽ eorũ & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. * 167.

S. Lucas.

DVM autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis: ego ſum. nolite timere. Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis nõ credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit, Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. * 168.

S. Iohannes.

CVM ergo ſerò eſſet die illo, vna ſabbathorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit: & dicit eis, Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. * 165.